

De quinque zonis Caput III.

Quoniam terra & aquæ superficies sit vna, & spherica (quod eius umbra, cum certa opaci corporis sit species, in lunari eclipsatione aptissime demonstrat) & in medio mundi, immobilis constituta, quinque cœlestis spheræ circulos quemadmodum spheræ, in cōuexitate sua cōplectitur. Æquinoctialem scilicet & Tropicos & Arcticos circulos. Qui præter æquinoctialem, in cœlo quinque zonas, totidemque in terris plagas constituit. Quarum duæ circa polos extreme frigore semper horrètes, vix habitabiles existunt. Tertia in oim medio inter tropicos sita, propter continuū solis discursum & ob radiorū solis perpendicularitatē, terra seu plaga adusta & male aut ægre habitabilis ratione discernitur.

Reliquæ duæ, quæ tropicis arcticisque circulis interiacent, temperatæ & habitabiles. Temperantur enim calore torridæ zone, & extremarū frigore, quarum nos alteram incolimus: alteram Antœci & Antichtones.

Huius præmissæ diuisionis zonarū quæque, sequitur formula in plano extensa.

